



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Mors quid fit, quotuplex, quibusq[ue] sit formidanda. Can. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

# ALLOQVIORVM IESV CHRISTI ad quamlibet animam christianam libri

II, pars I V. quæ complectitur in se INSTITVTIONEM succinctam de morte, quid videlicet ea sit, vnde, vbi, & quando ortum coeperit, & quotuplex sit, quomodoque sese quisque ad eam disponere debeat: aliaque complura quæ huc necessario requiruntur, ob oculos constituens.

*Mors quid sit, quotuplex quibusq; sit formidanda.*

## CANON I.



Anima quæcunque Christiana, quæcunque meo sanguine meritis redempta, quæcunque filia, quæcunque denique & mihi in sponsam electa, vocata, & consecrata, quemadmodum pollicitus sum: Tibi nunc explicabo quid sit ipsa mors, vnde & quotuplex sit, vt ex eius consideratione in mei amorem vehementius inardescas, citiusq; mihi vniri per mortem aspires, vitamq; tuam iuxta meæ innocentissimæ vitæ ac conuersationis præscriptum instituas: quo item cunctis vitiis viriliter relucteris, & virtutibus aggregandis strenuam naues operam.

Mors quid sit.  
Mors duplex quæ.

Psal. 118.

Psal. 118.

Mors autem (vt institutum prosequar) est vitæ extinctio, siue priuatio. Est autem duplex: Animæ scilicet & corporis. Mors animæ, est ipsius à me per peccatum separatio. Mors corporis est animæ à corpore secessio & dissolutio. Et sicut anima per fidem & charitatem vegetatur viuunt & mihi manet vnita, ita corpus ex animæ præsentia in vita subsistit, & conseruatur: Quare o religiosa anima, si aliqua in te diuini amoris, refidet scintillula, caue, ne vnquam peccati labe, aut turpium delectationum consensu in quineris: caue, inquam, ne quando dominetur tibi iniquitas, ne aliqua mala in te inueniatur voluntas, vt animæ vitam hoc est, me Deum ac sponsum tuum, in ea per fidem, spem & charitatem inhabitantem, amittas, sicut mortem incurras horrendam, gratia quoque mea ac dulci familiari: ate o moino hic priueris in tempore, & post huius miseræ vitæ decursum, in æternitate. Nonne verè sunt miseri ac omnium lachrymarum fonte plangendi, qui ob momentaneam foetidæ carnis delectationem, sempiternis se delitiis ac diuitiis priuant, æternæq; mortis supplicio se obnoxios reddunt: quando quidem si modo paululum vigilare vellept, hanc mortem tremendam euadere facillimè possent. Sed iam o anima le-cundum mortis genus tibi ob oculos ponam, quod sanè nullus abhorreere debet qui bonæ voluntatis existit, & paratus est viam mandatorum meorum currere, & sibi ab omni peccato cauere. Nam quomodo id quis timebit, quod auertere non potest? Sanè sicut quis mea adiuuante gratia (quæ omnibus eam deuoto pectore ac sincero affectu desiderantibus præsto est, imò ad bene meritoricq; operandum compellit & mouet) mortem animæ euitare valet, sic corporis non valet, eo quod hæc naturæ lex sit, vt corpus in puluerem reuertatur. *Statutum namque est bonis vitiis emet mori.*

uari. Hæc enim mors, vt dixi, ineluctabilis est, bonisq; & malis communis. Bonis nō est formidanda, sed optanda ea propter vt me Deo ac Domino suo charissimo eo familiaris penitusq; in æterna mea felicitate nulla corporis mole pregrauari, frui possim; & quem tanto desiderio videre cupierunt, dum in vita essent, tum sine fine præsentem habeant, plenè possideant, perfectissimatq; vniōne sibi copulatum sentiant.

Malis verò & mandatorum meorum transgressoribus, quam non solum hæc mors sit pertimescenda, sed etiam horrenda, nullus mortalium capere potest: imò dico, ipsum angelicum excedit capium. Redite ergo & peccatores & mei contemptores ad cor, & poenitemini de actis vestris pestiferis, immanibusq; sceleribus ne diuina mea iustitia cogente, in æternas vos cruciatus detrudere compellar, vbi prorsus nullum erit gaudium, nulla quies, nullum solacium, sed perpetuus horror, & intolerabilis dolor. Quid tunc proderit vobis acquiescisse carni, obediisse demonibus, ac mundi oblectamenti deseruisse? Nonne verum est, quod Apostolo meo docente audistis. *Mundus transit & concupiscentia eius?* Liberet tunc vos mundus iste fallax, & eius concupiscentia, cuius illicitos motus non refrenastis & de manibus eius eripiat, si potest. Quod si nequit, vel iam iustas peccatis vestris poenas luit.

Tertium mortis genus est ab omnibus meis electis summo studio adamatum & cultum, diciturq; mors spiritualis siue spirituale martyrium, hoc est, vitiorum passionumq; innatarum mortificatio. Ad quam Diuus Apostolus meus Paulus te & filia hortatur dicens: *Mortificate membra vestra qua sunt super terram.* Item de seipso: *Castigo, ait, corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis predicauero, ipse reprobus efficiar.* Vides ex hac sententia quanta vigilantia, quantaq; sollicitudine. Apostolus meus carnem suam domare, illicitos motus compescere studuerit, ne forte ex sui ipsius negligentiori custodia aliquod animæ damnum, dum aliorum salutem inuigilaret, incurreret? Et tu ò fidelis anima hoc ipsum studium amplectere, hinc labor in te perseneret, si desideras aliquando ad meos amplexus admitti, si mihi optas casta ac sancta adhærere, meq; tuum sponsum in intimis tuis comorantem retinere. O si hoc moriendi exercitium adeò in miseris huius seculi vanissimi amatoribus floreret, sicut indies ad omnia scelera & peccata perpetranda inhiant, quis verbis explicet, quam benè, quamquam rectè cum eis ageretur? Sed cum in ipsis charitatis meæ diuinæ, ardor penitus sit extinctus, ac omni gratia sint expertes, ad mala insuper omnia præcliuēs, atque adhuc adeò sint securi, tamq; feliciter secum agi arbitrentur ita denique existiment, me illis esse obligatum ac deuinctum, vt non possum vlla occasione eorum non misereri & æterna mea beatitudine participes facere, quid putas, quomodo mea amarissima morte, & præciosissimo sanguine pro eorum redemptione effuso, abutantur, & me à nouo grauius excrucient, quam illi ipsi Iudæi, quibus crucifigendus fui traditus? Illi enim ex parte erant excusabiles, eo quod non cognouerunt me verum DEI filium & ad saluandum mundum missum. hi verò, de quorum peruersitate loquor, nihil excusationis præterdere possunt, cum apertè sciant & audiant quod peccatoribus grauis imminet damnatio, quodq; ego omne execrer & detester peccatum, nec posse quæquam ad conspectum meum pertinere, qui ex hac luce peccatorum sordibus pollutus emigret. Quare per memetipsum obtestor vos ò scædi peccatores, vt abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobrie, iuste & pie viuatis in hoc seculo, expectantes

Heb. 10.  
Mors namque cur quibusque non sit timenda.

Mors quam sit malis timenda.  
Esa. 46

Iob. 10

1. Ioan. 2

Mors vitiorum vt sit martyrium spirituale.  
Col. 3  
1. Cor. 9

Cruci quina mystice Christum denuo adigant.

Tu 1

A& 10  
Mat 27

Rom. 2

Luc. 12  
Mat 25

beatam spem, & aduentum meum, qui sum constitutus iudex viuorum & mortuorum, ac omnis mihi potestas data est in cælo & in terra, vt que videam bona facta vestra, & gloriam habeam apud Patrem meum de vestra emendatione, & innotescat coram angelis meis, quod verè mei fuistis discipuli, meritoque ad gaudia cælestis regni intromitti edî, perfruituri bonis meis & deliciis cum omnibus sanctis, qui me DEVM ac Dominum suum strenuè vigilanterque sunt sequuti, iamque mihi dulcissima & perfectissima vnione coniuncti, in æternum mecum exultant & iucundantur. Sin autè his meis monitis non obtemperaueritis, veniam vobis scito, ac per memetipsum duritiam cordis vestri increpabo, maloque vestro experiemini, quam verum dixerit meus Apostolus: *Reddet vnique secundum opera sua.* Istud ergo sit studium vestrum, vt spiritu facta carnis mortificetis, & præcepta mea, sanctæque Ecclesiæ immaculate sponsæ meæ obseruetis, nec non magna diligentia & conatu vos ad aduentum meum præparetis, ne cum venero, imparatos vos inueniam, & cum fatuis virginibus è regno meo excludamini. Quod certo certius vobis continget, si tempus gratiæ sine fructu transigeritis & penitentiaë laborem recusaueritis.

*Mortis origo qua sit.*

## CANON II.

Rom. 12  
1. Pet 2.Gen 2  
Parens primus hominis quibus donis decoratus fuerit.  
Gen 3  
Sapientia

Parens primus vt donis nudatus fuerit post præuaricationem.

Gene. 12  
Gen 3  
Mors vnde acciderit homini.

**A**vdisti iam charissima filia, quid ipsa mors, & quotuplex sit: nunc verò opera pretium esse duxi, non silentio prætereundum, quæ ipsius mortis sit causa, siue origo, vt sic tuam totiusque humanæ naturæ miseriam attendens, quam videlicet prona post lapsum semper ad omnem transgressionem fuerit vt sic humiliata discas non alta sapere, sed timere. Vt sicut nec angelis in cælo, nec protoplasto in Paradiso peccantibus peperci, ne fortè nec tibi peccanti parcam. Verum his ommissis ipsam mortis originem aggrediar. Nosti ô anima ex sacris literis, quantis, quamque mirificis donis, gratuitis insuper ac superuaturalibus gratis primum hominem decorauerim, atque in paradiso constituerim, donans illi præcepta mea & prohibitiones vt sciret, quid agere, quidve omittere deberet. Præterea cum illo vt amicus cum amico conuersabar, in omnibus actibus suis intus illi lucens, eumque docens meam voluntatem, complurisque alia mea secreta illi reuelans, ita vt si voluisset mihi in omnibus obtemperasse, sicut fuit sine corruptione natus, ita etiam sine vlla corruptione immortalis perstitisset. Sed quia astutia serpentis, mulier quam protoplasto in sociam dederam fuit seducta, & per mulieris blanditias vir factum est, vt mei obliti, vterque præcepta mea tranagredereetur. Vnde contigit quod exigente mea diuina iustitia, omni se gloria, pulchritudine, innocentia ceterisque supernaturalibus ac gratuitis donis spoliauerint, incurrerintque illam maledictionis sententiam, quam ipsemet in ipsorum terrorem dictaueram: *In quacunque die comederitis ex ea scilicet, arbore scientiæ boni & mali, morte moriemini.* Item: *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Ex hoc igitur primorum parentum peccato, ex hac, inquam, præuaricatione, quod contempserunt obedire voci meæ mors intrauit in orbem terrarum: nec aliquis repertus est, hucusque qui eam euadere potuit, aut declinare etiamnum possit.

Vide iam mi filia, quid humano generi contulerit, quod Adam mihi rebellis fuit. Nonne per suam inobedientiam & superbiam totam suæ posteritatis progeniem in inextricabiles calamitates detruxit? Nonne omnes vos æternæ damnationis pœnis obnoxios reddidit? Nonne dulci familiaritate mea, ac diuinorum contempla-